



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

25. Cuiusmodi esse debeat accusatio sui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47032)

CAPVT XXV.

Qualis esse debeat accusatio sua?

Hæc sunt, ait Magnus Gregor. vera humilitatis testimonia, & iniquitatem suam *Li. 22. c. 13.*
quemque cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire. Et Dorotheus humili-
tatis esse filiam, sui ipsius perpetuam accusationem scribit: unde conficitur *doctr. 1.*
eam demum esse sui accusationem laudabilem atque frequentandam, quæ
à sincero humilitatis affectu ortum ducat, & de se non aliter loquatur, quam
in animo sentit.

Illustre quiddam, omnibusque suspiciendum virtus emicat, plurimumque
approbationis & amabilitatis comitari solet humilitatem; contra verò ex eo
quod vitiosum aut superbum est, tenebrosum quiddam, & horroris ac odij
plenum solet erumpere: inde fit ut lucem & publicum amet virtus, at vitium
latebras quærat, nisi si ementira specie virtutis, ex alienæ lucis imitatione splē-
dorem simulet: quod nonnumquam tam dolosè perficit, ut philantia sibi pa-
trocinante ne quidem sentiat dolus. Quod sanè præ ceteris, in sui accusatio-
ne obseruare licet, quam plurimi oretenus, at sincerè & ex animo fortasse vix
vnus vsurpat: cùm enim scriptum esse, omniumque ore decantari sciant, Iustus
in principio accusator est sui; vltro in sui accusationem, non ut deprimantur,
sed ut extollantur excurrunt: ex accusatione purgationem, ex humilitate glo-
riam venantur, & ut quidam Sanctorum loquitur, *de confessione peccati ornari vo-*
lunt, non humiliari, & per accusationem suam, humiles appetunt videri, non esse. *D. Greg.*
l. 24. Mor.
c. 6. vel 12.

Non igitur cuius, non nostræ ipsorum assuetudini, nos peccatores dicenti,
credendum est; non estinquam, cur de humilitatis profectu nobis gratule-
mur, si quando ad nos accusandos erumpere non ægrè possumus: excutiendus
est animus, & curiosius explorandum, numquid cariosum aliquid & adulteri-
num sinceritati officiat. Ac primò quidem, ut accuratus ille cogitationum sua-
rum explorator Gregorius obseruauit, *Indicium vera confessionis est, si cùm quisque* *Lib. 22.*
se peccatorem dicit, id de se dicenti etiam alteri non contradicit. Quod si superbe defendi- *c. 10. seu 14.*
mus, liquet quia peccatores nos ex nobis fide dicebamus. Superbia quippe vitium est, ut
quod de se fateri quisque quasi sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab alijs dedignetur. Quod
alio loco dilucidius & paulo diffusius exponens, Peccatores, ait, se esse plerumque
confitentur, etiam qui se peccasse non credunt. Nam sapè contingit, ut passim se homines *Lib. 24.*
iniquos esse fateantur, sed cum peccata sua veraciter alijs arguentibus audiunt, defendunt
se summo opere atque innocentes videri conantur. Vnusquisque ergo cùm talis est, si deli-
quisse se dicit, verè non dicit: quippe qui peccatorem se, non ex cordis intimo, sed verbo
tenus asserit. nam si confitendo peccatum, esse humilis veraciter appeteret, de perpetratio-

ne peccati arguentes se alios, non impugnet. Quæ quidem ut verissima, jã vsu propemodum assiduo deprehenduntur.

Et ut clariùs cognoscantur, animaduertendum quoque à quo, & quo animo, quibus audientibus obiecta videantur, & cuiusmodi illa sint. Si enim qui nos arguit, vir grauis & magnæ auctoritatis est; idque verè ex animo, præmeditatè, & quali sic omnino persuasus obiciat, hoc ægrè patietur, qui de se non idem sentiet, sibi que planè viluerit. Præterea, si obicitur iis audientibus, quos magni facimus, vel quorum in potestate sumus, merito que credendum est, propterea nos his vel illis munij arcendos, minori que in opinione apud eos esse futuros; profectò id non feret, nisi ille qui se, non tantum accusare, sed coram Deo suo condemnare consueuerit. Denique quædam sunt, in quibus facilè vel imperitiam, vel errorem, vel etiam peccatum agnoscimus. & hæc duplicis sunt generis, primum eorum, quæ parui ducimus, nec ad nos putamus propriè attinere, ut in artificiorum à nobis alienorum peritia, belli artibus, controuersa forensis Iuris causa, quando vite institutum ab his remotum sequimur: alterum eorum, quæ passim quibus hominum proborum atque prudentium, à se amoliri non solent, idque ferme, quòd nec ad eò graue censetur, & propè omnibus commune est, eo vitio laborare, aut saltem eas nonnumquam fuligine afflari; cuiusmodi sunt, si animum pluribus occupatum, aliquid præterierit, si minùs vbique patiens, minùs humilis, laudis amore tangi dicaris. In huius vtriusque generis rebus vel accusare te ipsum, vel accusationem pati, nihil excelsi, nihil ardui continet. At sunt alia, quæ peculiarem quamdam nobis notam inurunt, idque in eo quod magni facimus, aut saltem quod magni facere, vulgò solent homines; hic igitur, humiliter accusare semetipsum, vel alienam reprehensionem ac improbationem æqui bonique consulere, humilitatis est, prædixerim, heroicæ.

Sin autem quæsieris, quæ illa sint, quibus tantoperè permouemur? non possum equidem aut numero, aut forma certa comprehendere; quot homines, hominum que status, tot ferme varij affectus vigent. Vniuersè dico, vnusquisque in rebus sibi commissis impiger, strenuus, peritus & solers videri vult, & quicumque in re, exercitio, vel arte vlla affectat excellere, numquam, nisi maximos fecerit in humilitate progressus, vel ipse in eo se accusabit, vel ab alijs reprehendi patientior feret: itaque neque concionator, in oratoria; neque Iurisperitus, in formulis; neque medicus, in curatione; neque philosophus, in dissertatione; neque artifex in ea quam proficitur arte reprehendi, neque vult quisquam in eis rebus tiro & imperitus putari, quarum præ ceteris peritiam ipse sibi vltro arrogat; qui comis, vrbanius, facetus in colloquijs haberi exoptat; is in comitæ rusticitatis damnari se iniquis animis accipiet. Quare si nos ipsos diligentius perserutemur, vel vnum vel plura deprehendemus,

demus, vbi nostros, nostra, vel nos ipsos perstringi, & minoris fieri nolumus.

Erit autem hic aculeus tanto acerbior, toleratuque difficilior, si nobis vel imperitiam vel errorem exprobrari viderimus, ab eo quem in eiusdem rei pertractatione patimur æmulum, vel cui superiores nos haberi volumus; vel si ab eo quidem non exprobratur, at is ab alijs nobis præfertur, aut etiam abrogato nobis munere demandato, id ipsum illi quasi peritiori traditur: vt si à concionandi, docendi, procurandi, regendi munere, improbata opera nostra remoueamur, alterique demandetur, qui parum sit in nos propensus, qui alia & diuersa omnia sit secururus, qui in speciem multa, pauca re ipsa vtiliter præter, sibi que tribuat quæ antea præclare confeceramus, ac nihilominus in omnium ore versetur, vigeat, floreat. Hic nihil de istius opinione, neque verbo, neque voluntate detrahare, de sua innocentia tacere, de suo iure, rebusque falsò sibi impositis silere, nec aliud quàm culpam semetipsum, impavidumque ac Deo soli fidentem, casus omnes excipere; hic, inquam, patientia Sanctorum, & victrice humilitate est opus.

Et quidem tunc sese potissimè effert, quando rebus ipsis premimur: fit enim nescio quo pacto, vt suæ existimationis retinentior animus, in aduersis, quàm in prosperis accusari, & in se calamitatis causam reici molestius ferat: siue quòd rebus quasi exacerbator, facilius irretetur; seu potius quòd acerbæ sortis casibus, quasi quodam vel rerum, vel impugnantis Dei testimonio rei peragi; contra verò, latiore sorte, cum rerum, tum ipsius Dei fauente calculo absolui videamur: quapropter, quoties aduersis premimur, insurgimus; & si fortunam non potuimus, at causam tamen videri volumus habere meliorem. Præuam istud est, nec tibi, carissime frater imitandum, nec est tui ipsius accusatio extra patiendi tempus, sed potius in eo vel maximè frequentanda. *Valde facile est, vt peccatorem se quisque, cum nihil pro peccato suo patitur, fateatur, inquit Diuus Gregorius. Securè videlicet .ib. 24. c. 6. iniquos nos dicimus, cum vindictam nullam de iniquitate sentimus. Nam peccatores nos quidem, in tranquillitate loquimur, sed cum de peccatis ipsis flagello interueniente corripimur, murmuramus. Cum tamen, vt paulò antè alleruit, Vnusquisque in flagello positus, minus adhuc peccata sua consideret, si vel tantum, vel amplius percussam se, quam merebatur existimat. Quis enim peccatorum suorum, vel multitudinem, vel grauitatem, pennis vllis æquari posse putet? quid enim est homo, qui iniquitatem quasi aquam bibit, nec est mundus, ipso etiam in vitæ limine, primo in ipso natiuitatis die? quàm multa exinde, seu aliena contraxit, seu propria parauit: dicat igitur, vereque & ex animo, & cum tremore dicat, quod magnus ille virtutum athleta dicere non erubuit, Peccauit, & verè deliquit: & vt eram dignus non recepi. Afflixit me, sed non sine misericordia Dominus; corripuit, sed patris & amantis, non iudicis & irati flagello corripuit: ideoque cum sponsa pariter cano, Trahè me, & in odorem vnguentorum tuorum curremus: Me, inquam, & sponse,*

Homil. 44. corripe, me exerce, me tenta, me trabe post te: quoniam ego in flagella paratus sum, & pa-
 tens ad sustinendum: unguentum enim in plagis tuis, & in vulneratione sanita-
 tem reperiam. Quis virum sanctum Bernardum, tanta viræ innocentia, tot
 laboribus pro Dei gloria, Ecclesiæ pace, tam foriter & feliciter obitis, de sui
 corporis infirmitatibus acerbissimis loquentem audire, & à lacrymis temperate
 possit, quando fratres sic alloquitur? *Infirmitas mea pausandum indicit, sicut &
 sæpe facit. Sed quid? Ego in flagella paratus sum, sciens me adhuc longè recipere impari
 meritis. Vapulem, sanè vapulem, ut malè operans, si forè verbera in merita reputentur:
 fortassis miserebitur flagellato, qui bonum in me non inuenit quod remuneret, spon-
 sus Ecclesiæ Iesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in se-
 cula. Amen.*

C A P V T XXVI.

Quo veritatis impulsu, nos ubique accusare possimus?

Cum diuersa nos ipsos accusandi genera recensuerimus, non potest in ips
 omnibus vna & eadem veritatis esse ratio, sed accedendum est ad singula,
 & quid in eis lateat edifferendum. Sic igitur nostri accusationem dispartiu-
 mus, ut quæ diximus, in triplicem rerum ordinem seu occasionem referri pos-
 sint; nempe si quacumque oblata, si alijs nos inquisantibus, si quouis in euen-
 tu, frustratione, peccato, & rebus aduersis, reperimus vnde in nos culpam con-
 feramus: quæ singula qua veritate nitantur, declarandum nobis est.

Et quidem, quod est quibusuis in sensum & oculos incurrentibus, occasione
 nos ipsos deprimendi, docendi, arguendi reperire possimus, non habet opinor
 res ista controuersia: quidquam, dum tantum, & ea quæ cap. 23. dixi, probè intel-
 ligantur, & veræ humilitatis desiderio flagrans animus, quæ ad eam conducant
 scrutari & sectari non pigritetur. Cumque nihil amplius iure desiderari posse
 putem, non est cur agam pluribus.

At in alijs duobus modis haud paulò plus obscuritatis lateret: nam, quod ad
 secundum attinet, quis nescit facillè accidere, ut reprehendentium feruor me-
 tas veritatis transiliat, ipsoque obiurgandi æstu veris fallæ permisceat: quid? quod,
 & facillè error intercedit, ut innocentem pro nocente habeas, & id vel aliorum
 criminatio conficta, vel probabilis aliqua, sed tamen fallæ coniectura persua-
 deat: dubia pro certis, coniectanea pro compertis, conficta pro factis, pronis ad
 deteriora credenda auribus, admittimus. Iam igitur, inquires, si ab alio, eius cri-
 minis aut erroris insimulor, à quo sum omnino alienissimus; si vehementer, &
 supra verum exaggeratur, quod erat alioqui leuissimum, ideoque toleratu per-
 didiciles pœnæ iniunguntur; qui fieri potest, ut ego me, vnà cum increpantibus,
 illæsa veritate condemnem?